



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

58. An testium inductio debeat praecedere denunciationem publicam? Et
difficultas est, si proximus in correctione aduruerit, utru[m] sint
adhibendi? Ex. p. 7. tr. 3. r. 56.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

RESOL. LVIII.

An testium inductio debeat precedere denunciationem publicam?
Et difficultas est, si proximus in correctione obduraverit, utrum sint adhibendi? Ex p. 7. tr. 3. Ref. 56.

§. 1. Existimavit Durandus in 4. dist. 9. quest. 4. in peccatis, quæ sunt occulta, testium inductionem esse prorsus illicitam; & tunc solum esse licitam, quando peccatum aliquod occultum, in duorum, vel trium notitiam devenit: ideòque si corripienti solum innotescat, post privatam admonitionem, bis terve repetitam, non debet vterius procedere. Primum, quia si testes pro isto peccato sint adhibendi, vel quia necessarij sint ad probationem criminis, sed hoc non; siquidem fieri potest ut crimen non viderint, & præterea in correctione fraterna, etiam quando ad denunciationem devenit, non incumbit denunciati ista probatio, cum denunciatio sit actus charitatis, & in eo ab accusatione distinguitur, quòd ipsemet denunciator sit testis, nec opus semper sit, alios secum ad Prælatum, cui denunciat, adducere, ut iam ostendimus; vel testes adhibendi sunt, ut ipsi iudicent, an in peccatum istud denud incidet ipse peccator, sed hoc non: quia hoc iudicium non potest fieri absque prævia vita, conversationis, & reliquorum aliorum ipsius delinquentis perquisitione: hæc autem perquisitio privatis hominibus, quales sunt ipsi testes, prorsus interdicitur, vel sunt adhibendi, ut testificentur se officio suo in ipsa correctione functum esse: hoc autem est omnino inutile & vanum: ad quid enim prodest Deo, & in conscientia, quòd homines, nos officio non deesse resciant: igitur in peccatis occultis, post privatam, & secretam monitionem, non est vterius per testium inductionem procedendum.

2. Verùm hanc Durandi opinionem refellit, D. Thomas in 2. 2. quest. 33. ad 1. docet namque post privatam monitionem, antequam ad publicam denunciationem deveniatur, adhibendos esse testes, ut patet Matthæi 13. Adhibe tecum unum, aut duos testes. Deinde ordo charitatis postulat, ut quando non potest famæ, & vitæ spirituali proximi, simul consulti, potius famæ, quam vitæ spiritualis iacturam faciat: est enim vita spiritualis animæ, multò charior, & pretiosior fama. Tertio de extremo ad extremum non est veniendum, nisi per medium; ad hoc ut proximus noster, quàm minimo suo incomodo emendetur: principium autem correctionis fraternæ, quod fit, quando proximus corripitur privatim, est omnino occultum: finis autem est, quid publicum, & manifestum, nempe Ecclesiæ denunciatio: ergo inter utrumque debet intercedere aliquod medium, quod de utroque extremo participet nempe unius, aut alterius testis inductio. Quarto, illud expressè docet Augustinus sermone 16. de verbis Domini, ubi hanc Christi sententiam, Si peccaverit in te frater tuus, de peccato occulto intelligit, Peccavit in te inquit, quando tu solus scis, si alij eiusdem peccati conscij sint, etiam peccavit in eos. Atqui in huius peccati correptione præcipit Christus, adhiberi testes: ergo non tantum pro publico, sed etiam pro occulto sunt adhibendi, iuxta illud eiusdem Augustini, ut refert D. Thomas loco citato, Peccatum fratris non debet occultari, ne putrescat in corde, quo loco agit de occulto peccato, ut patet ex hoc quod ait, si non detegatur, putrescet in corde.

3. Vnde ad primum Durandi argumentum, respondeo, testes quatuor de causis adhiberi. Pri-

mò ut præ reverentia testium non audeat negare factum, & ut spondeat coram illis emendationem: admonitio quippe coram alijs facta magnam vim ad morum correctionem habet. Secundò, ut si neget se fecisse, testes postea eum obseruent. Tertio, si fateatur factum, sed neget esse peccatum, à testibus convincatur esse peccatum. Denique, ut testes eum hortentur, & ad emendationem, atque correctionem vitæ suæ ei stimulos admoveant. Et hæc omnia docet Duallius in 2. 2. tr. de Correc. quest. 9. art. ult.

4. Non nego tamen ratione circumstantiarum sæpius testes non esse adhibendos ante publicam denunciationem. Et idèd Hurtadus volum. 2. disput. 163. sect. 7. §. 115. & si proximus in correctione obduraverit est difficultas, utrum sint adhibendi? Aliqui censent à S. Thoma sentiri eos adhibendos, utrum loquitur expressè ante accusationem publicam. Ego existimo duo; alterum eos adhibendos ante publicam accusationem delicti, ut expressè S. Thomas, quest. 3. art. 8. ex Beato Augustino, & alijs. Quod accipere quando possunt adhiberi sine proportionato damno deferentis, aut alius: & quia hoc damnum frequenter timetur, idèd Henr. Durand. & alij censuerunt non esse obligationem eos adhibendi. Ita Hurtadus.

RESOL. LIX.

An idem dicendum sit, si procedatur via accusationis, ita ut in tali casu possit fieri accusatio sine prævia correctione?
Et distinguitur inter viam accusationis, & denunciationis. Ex p. 7. tr. 3. Ref. 57.

§. 1. Negativam sententiam si emendatio fratris speratur docet Lorca in 2. 2. D. Thoma disput. 47. numero 27. ubi sic ait. Patet, materiam accusationis esse omnia delicta, quibus inferitur iniuria alicui, præsertim Republicæ, atque adèd illa etiam, quæ solum nocent peccanti, si publica & scandalosa sint; nam quæ talia sunt, nocuumtum Republicæ afferunt. Cum igitur hæc etiam sint materia correptionis, ut ex supradictis constat, quamvis in aliquibus eorum raro habeat locum, non est negandum, etiam in processu accusationis sæpè lege charitatis præmittendam esse admonitionem. Hæc est sententia Doctoris Angelici art. 7. Cum enim in 3. argumento obiecit, in accusatione non deberi admonitionem; ergo nec in denunciatione; solum respondet his verbis: Ad tertium dicendum, quòd quando imminet periculum multitudinis, non habent ibi locum hæc verba Domini. Nec distinguit inter accusationem, & denunciationem, quasi dicat, tam in vna, quam in alia solum excusare omissionem admonitionis, quando est periculum in nocumento alterius. Quod ergo dicitur in cap. Qualiter & Quando, solum significat, magis convenire admonitionem denunciationi, quia solum expetit emendationem delinquentis, quàm accusationi; sed in accusatione etiam aliquando deberi admonitionem, constat ex Anacleto Epistola 2. cap. Accusatio, 2. quest. 7. Hæc vsque Lorca, cui adde Caiet. in 2. 2. q. 33. art. 7. & alios ubi infra.

2. Nec deseram hic apponere verba Ioannis Dicastillo de Iust. lib. 2. tract. 1. disput. 7. dub. 2. num. 9. ubi sic ait: Probabilius est, & pia sententia Soti lib. 5. quest. 5. art. 1. & Sylvester verb. accusatio. punct. 3. quos alij sequuntur, semper, scilicet præmitti debere ante accusationem fraternam correptionem, de